

EREMITORIVM

e lingua japonica

in latinam

vertit

**CHRISTOPHORVS FERRARIVS**

edendum curavit

**ALEXANDER RICIVS**

方

丈

記

羅

譯

LVTETIAE PARISIORVM

MMVIII



Hojoki

seu

EREMITORIVM

auctore Theomaeo Camoensi  
a iaponico in latinum  
vertit Christophorus Ferrarius Lusitanus  
emendavit edendumque curavit  
Alexander Ricius  
Lotharingius



Defluentes amnes cursu non cessant, quorum aqua vero pristina non exstat. In stagnante quae fluctuat spuma modo solvitur, modo creatur, nec diu remanet umquam. Hujus mundi homines habitationesque non aliter esse constat.

In urbe gemmea nobilium viliumque aedes quae fastigia expandunt, tegularumque verniciatarum splendore certant, per saecula numquam perire videntur ; quod si vere sic se habeat inquiritur, antiquitus exstitisse domos raras esse patet.

Aut procervae aedes rutae humiles factae sunt, item ac homines qui ibi habitarent. Et si non mutata sunt loca gentesque

adhuc frequentes adsunt, olim qui aspiciebantur homines, ex viginti trigintave paene unus duove reperiatur.

Nescitur nascentes morientesque unde venerint quoque abeant. Neque scitur, in hoc caduco refugio, cujus causa vexetur cor, quo praesidio laetetur oculus. Sic impermanentiam aemulantur heri aedesque non alio, dicamus, modo quam ros in flore matutino.

Aut cadit ros, flos autem restat ; tametsi restat, orto sole exarescit.

Aut marcescit flos nec dissipatur ros ; licet non dissipetur, numquam ad vesperem perdurat.

Utrumque quadraginta plusve praeteritis annis ex eo quod rerum cor noverim, saepius mihi hujus mundi miranda videre contigit.

Quondam anno, ni fallor, tertio aetatis Angen<sup>1</sup>, die vicesimo octavo mensis quarti, cum ventis vehementibus nox perturbata esset, ad Canis horam, ex urbis meridionali regione ortum est incendium quod ad septentrionalem spatium est.

---

<sup>1</sup> Anno gratiae 1177.

Extremum ad Miniaceae Avis Portam, Magni Fastigii Palatium, Studiorum Collegium, Civilem Curiam diffuso, unius noctis intervallo haec cineres facta sunt.

Fertur ignem in viculo Divitum ad Alvei Buccam ortum esse, a tugurio in quo commorabatur chorus.

Turbulente afflante vento, huc illucque cum ferretur, quasi panditur flabellum se latius latiusque diffudit. Longinquae aedes fumis suffocabantur, in vicinitate autem flammae humum deflabantur. Ad coelum cum sufflarentur cineres, ignis lumine illustrante universa dum rubescunt, vento cedentes flammae separantur atque fere volitantes supra vicos transferuntur. Numquid in tantis compotes sui essent homines? Alii fumis suffocati humi dejinciuntur, alii flammis circumdati continuo moriuntur. Sunt vero qui aegre evaserant nudi, at substantiam cum extrahere non valuissent, cuncti eorum thesauri bonaque integre ad cinera redierunt. Quanta fuere damna! Tunc procerum aedes sexdecim combustae sunt. Quanto minus fieri posset ut numerarentur aliae. Fertur summam totius urbis tertiam partem attingere. Viri mulieresque aliquotiens decem decesserunt, nescitur vero equorum boumve numerus. Hominum labores omnes quidem stulti existunt, at in tot

periculis freta urbe domus aedificandae causa gazam dilapidare corque inquietare in primis inane evadit.

Porro ad mensem quartum anni quarti aetatis Jishô<sup>1</sup>, a compito Mediae Portae et Urbifastigii ortus est ingens turbo qui ad Sextam stratam usque flavit. Cum in tres quattuorve vicos saeviret, inclusae aedes, seu magnae seu parvae, ad novissimas eversae sunt. Aliae integre solo aequatae sunt, aliae trabes columnaeque tantum relictæ sunt. Portas flatu evellit atque ultra quattuor quinqueve vicos defert ; etiam saepes ita deflat ut vicini una fiant, nedum bona quotquot in aedibus sunt ad caelum existunt. Tum cupressei cortices tabellaeque cum eis similia sicut hiemalia folia ventis agitantur. Tamquam fumo excitato pulvere occaecantur oculi ; propter immane resonantem fragorem loquentium voces non audiuntur. Ipsum infernorum manium ventum haud aliter demum esse aestimares.

Non domorum tantum facta sunt detrimenta, sed innumeri fuerunt qui eas reficientes corpora sua laeserunt ac mutilaverunt. Ventus iste ad partem inter occidentem et meridiem cursum deflexit, atque multorum planctus suscitavit. Dubitabatur :

---

<sup>1</sup> Anno gratiae 1180

« Cum saepius turbines moveantur, tantine existant ?  
Portentosum quid est ; numquid futurorum omen ? »

Porro anno quarto aetatis Jishô<sup>1</sup> circa mensem sextum repente translata est Urbs, quod admodum inopinatum fuit. Plerumque de hujus civitatis origine fama erat jam annos circiter quadringentos praeterisse postquam Caput constituta esset. Cum sine certa causa haec leviter mutare nefas esset, satis superque demum rationi congruebat vulgus propter difficultatem sollicitari.

Sed utcumque contra dicta non valuere, a rege incepto, tum administri cum proceres omnes quotquot erant locum mutaverunt. Quis enim aulico muneri potens in vetere oppido unus remansisset ? Officia ac ordines spectantes qui domini praesidio niterentur quam citissimam translationem exhortabantur ; qui vero occasionem amiserant atque neglecti omni expectatione indigebant in maerore commorabantur. Domicilia quae frontibus certabant in dies tabescunt ; aedes destructae in anni Iodo defluunt, solum ante oculos ager fit. Et hominum corda mutata sunt : equi ephippiaque tantum

---

<sup>1</sup> Anno gratiae 1180

respiciuntur, jam nemini boes carpentave usui sunt. Optat quisque ad mare occidentale et septentrionale fundos, orientales septentrionalesque villae fastidio.

Eo tempore cum res ex improvise accidisset, ad hodiernum Caput in Tuensi provincia adveni. Considerato situ, apparuit terram angustiore esse quam ut in stratas vicosque divideretur. Pars septentrionalis juxta montes altior existit, meridionalis vero prope mare humilior. Undarum tumultus jugiter molestiae est, maritimus ventus singulariter invehitur. Cum autem Palatium mediis montibus insit, propter illius regiae stipitibus teretibus constructae similitudinem, satis mirandum est nec formositate caret. Ubi vero sit quo aedificentur domus in dies destructae perque flumen constipatum deportatae? Adhuc abundant vacuae terrae at paucae perficiuntur aedes. Iam vastata est vetus urbs, novum autem caput nondum confectum. Omnes ad unum homines sibi videntur errabundas esse nubes. Qui a principio haec loca habitaverunt amissas terras lugent, qui modo transmigraverunt exstructionis labores conqueruntur. Quoad viarum commeatus attingit, qui carpentis vehi debent equos conscendunt, qui vero togas curiales induere debent saga



vestiunt. Continuo urbanos mores verterunt neque aliter ac rustici milites evadunt.

Quod de seditionis portentis fama ferebat manifestabatur ; in dies fluctuabat mundus nec hominum corda quiescebant. Cum demum populi molestia supervacua non fuisset, ejusdem anni hieme ad urbem nostram reversa est aula. Quae autem evenerunt destructae ac transportatae aedes, cum omnes sane in pristinum restituae non essent ?

Imperantibus prudenter antiquis, misericordia regnum gubernari traditum est ; palatia scilicet harundinibus tecta esse, eisque ne ad frontem quidem ordinatis. Etiam, conspecta fumorum paucitate, vectigalium moderamen auguste concessum esse. Nam curae erat tum populo gratificari cum rem publicam adjuvare. Hodierna veteribus comparando agnoscere licet.

Porro, an aetate Yôwa<sup>1</sup> fuerit, propter nimium interpositum tempus haud memini, facta est per biennium in mundo fame, taetra acciderunt. Alio vernalis aestivaque siccitas, alio

---

<sup>1</sup> Circa annum gratiae 1181.

autumnales turbines eluvionesque adeo infausta continuata sunt ut omnino defuerint fruges. Inaniter arationi vere, aestu sationi laborabatur, cum autumnali messi hiemalique conditioni occupatio non daretur. Qua de causa provincialium alii, terris derelictis, limites transgrediebantur, alii, familiarum immemores, in montibus habitabant. Multifariam precationes initiatum est sollemniaque extraordinaria factum, at nequiquam demum.

Cum urbani mores, quocumque negotiorum pertineant, in rure omnes ceu fonte nitantur, si annona plane defuerit, numquid tantum decorum gerere liceat? Deficientibus animis, omnigenarum divitiarum, quales in promptu fuerint, quasi jactura acta est, at nemo eis oculos attendebat. Quod si forte res permutarentur, aurum in vilitate, granum in caritate habebatur. Complures erant juxta vias mendici, ploratus ac lamentationes aures implebant.

In talibus cum aegre annus exierit, prior, proximo ineunte refecturas iri res censebatur, at his insuper addita lue, in deterius sine boni vestigio delapsae sunt. Eo esuriebant homines ut dies de die in angustias adducti apte piscibus aqua carentibus

compararentur. Extremum, imposito petaso ac impiliis crura involutis decentem figuram praebentes desperanter ostiatim mendicatum eunt. Dum tam macie hebetatos ambulare miratur, extemplo decidunt. Iuxta aggeres viasque innumeri qui fame confecti sunt. Cum eos tollere nequiretur, foetor mundum implebat atque saepius a putidis formis oculi avertabantur. Eo magis ad fluvii ripam ne qua plaustra equive commearentur quidem erat.

Cum humilium plebeculae carbonariorumque vires deficerent, ineunte lignorum penuria, opibus carentes proprias aedes destruebant ut in mercatu venundarentur. Ejus autem quod secum ferre poterat pretium ne pro unius diei victu quidem valebat. Horribile dictu, cum inter ligna purpurissa aureataque reperirentur sparsim admixta, interrogati respondebant se omni praesidio indigentes a veteribus templis imagines furatos esse, fanorumque vasa sacra evelisse ac minutatim fregisse. Qui simul in hac ferrea aetate nati sumus, tanta immania nobis aspicere accidit.

Tristissima porro exstiterunt. Qui difficilius ab uxore virove separaretur, propter validiorem amorem, profecto ad mortem

alteri antecedit. Causa est quod, dum conjugis sollicitudine laborat, quam sibi rarius paraverit escam, sese postponens, alteri concedit. Sic inter parentes liberosque fataliter prius decedunt parentes. Etiam innocui infantes reperiuntur qui, cum matrem animam egisse nesciant, adhuc mamillas sugentes jacent.

In Bonae Pacis templo erat Faustus Aureus nomine Hierarchus qui, innumerabiles in talibus mortuos moerens, quotiens caput aspiceret, ejus frontem littera A notabat ut hac opera salutaris affinitas contraheretur. Cum hominum scire cupiens numerum quarto ac quinto mense eos computavisset, media in urbe juxta stratas, in meridie a Via Prima, septentrione a Via Nona, occidente ab Urbis Festigio, oriente ab Ave Miniacea, in summa plus quam quadraginta duo milia trecenta evaserunt. Quin etiam, his additis prius posteriusque decessis multis, necnon regionibus aliquot Amnis Planitiei, Albi Fluvii, Occidentalis Urbis, infinita exsisterent. Nedum in Septem Plagarum provinciis. Regnante Sutocu imperatore, aetate, ni fallor, Chôjô, his similia accidisse audivi, at istorum temporum habitum nescio ; quod vero ante oculos habui perrarum existit.

Porro in eodem, opinor, tempore ingens terrae motus accidit, et quidem potentificus. Ruti montes flumina sepeliverunt; eversa maria terras inundaverunt. Hiabat tellus unde scatebant aquae, dereptae rupes in valles devolvebant. Prope litus remigantes naviculae undis fluctuant, iter agentes equi ubi pedem ponant dubitant. Ubicumque circa urbem nec fanum nec templum integrum remanet. Alia subruunt, concidunt alia; consurgunt cinerei pulveres sicut spissus fumus. Telluris tremores, aedium inter dirumpendum fragores haud aliter ac tonitrus existunt. Qui domi residerunt actutum conteruntur fere; si foras fugierunt, solum hincit eis. Alis carentes per aera volare nequeunt; utinam dracones fierent ut nubes conscenderent! Omnium terrorum, ut equidem sentio, maxime terribilis est terrae motus.

Inter haec, cujusdam militis filius annorum sex septemve qui sub aggeris tecto sibi casulam aedificaverat in qua innocuis inanibusque ludis delectabatur, subita diruptione sepultus informiter ad solum contritus est, binis oculis digito fere a capite protrusis. Quem amplexi parentes ululanti voce, visu miserrimum, plorabant simul. Propter filii maerorem, et

ferocem militem constabat pudorem amittere, quae ratio me videntem tristitia afflixit.

Tam ingens terrae motus diutius quidem cessavit, at ejus repercussus aliquamdiu continuati sunt. Motus terrae qualibus solitus stuperet mundus cottidie viceni tricenique acciderunt. Decem vigintive diebus interpositis, paulatim ita sparsi sunt ut quaterni quinive, dein bini ternive, aut altero quoque die, deinde tertio quartove quoque die semel facti, plerumque menses tres, opinor, continuati sunt repercussus.

Quattuor inter elementa, aqua ignis aër jugiter damna faciunt, at quod ad tellurem pertineat, singularia portenta non efficit. Olim, aetate ut puto Saicô, magnus accidit terrae motus quapropter in Magno Orientali templo decidit, inter alia infortunia, Evigilati caput; huic autem recenti minime aequiperaretur. Statim quidem homines rerum inconstantiam declaraverunt, visaque sunt aliquantum dilui animarum turbida; cum vero transierint dies mensesque praeteritis aliquot annis, nullus jam invenitur qui talia verba in ore faciat.

Sic adeo mundana omnia difficilia, fuites inanesque tam nos ipsi quam habitationes nostrae. Nedum secundum loca statusque aegritudines cordis referre infinitum esset.

Qui infimo loco nati prope magnates habitant, etsi quod penitus gaudeant habent, vehementer delectari non possunt. Neque, si quod doleant exstiterit, eis magna voce flere licet. Nihil facile agunt, sive stent sive sedeant, pavore tremunt perinde ac passeris accipitris nido appropinquantes. Qui pauperes divitum vicini habitant mane vespereque vili specie vercundantur, nec sine adulatione comitant. Tum uxoris liberorum famulorum invidiam advertentes cum locupletium contemptuosam faciem sentientes, jugiter corde agitantur nec quietis intervallo quidem fruuntur. Qui in angustiis habitant, proximo conflagrante incendio, calamitatem fugere nequeunt. Qui in reconditis sunt, perincommode iter faciunt, imminentibus crebro latronibus.

Porro potentes avaritia profundi ac gente orbi a plerisque spernuntur. Si divitiae eis exstant, multum habent metum ; quod si paupertas, odio laborant. Si in aliis nituntur, sese alienant ; quod si alios nutriunt, affectibus gratiaque sollicitantur.

Communes mores sequentes cruciantur, non sequentes pro insanis habentur. Quem locum occupantes, quo munere fungentes, parumper corporibus refugium, cordibus brevem inveniant quietem ?

Ipsa a paterna avia domum hereditate accepi ibique diu habitavi. Postea vero necessitudinum praesidio carens de statu meo declinavi ; quamvis multiformes abundarent recordationes, tandem ibi demorari non licuit. Annos plus quam triginta natus tugurium secundum cor meum aedificavi, quod priscae habitationi comparatum vix decima pars erat. Mansionis habitaculum tantum instruxi, circum autem casas cum diligentia construere non valui. Aegre id muro quidem munivi, at opes ad portulam instruendam defuerunt. Bambusae pro columnis erant ; ibi carpentum collocavi. Nivium ventorum periculorum omnino securus non eram. Cum locus prope flumen esset, admodum imminebant aquae, latronumque timore perturbabar.

In hoc inhabitabili mundo patienter inter cordis sollicitudines annos plus quam triginta omnino degi. Quo in spatio, adversis saepius rebus, sortis tenuitatem animadverti ; quapropter, quinquagesimo aetatis meae ineunte vere, domum reliqui



mundumque rejeci. Cum uxor et liberi utique deessent, nullum erat vinculum aegre revellendum. Publico munere carens quonam praesidio adhaesissem ? Inaniter autem inter montis Oharae nubes recumbens, annos amplius quinque consumpsi.

Hic, cum ad aetatis meae roscido modo evanidae annum sexagesimum pervenissem, rursum refugium ultimum aedificavi, tamquam, ut ita dicam, viator sibi ad noctem casulam conficit, seu bombyx senescens sibi globulum texit. Quod si priori habitaculo compararetur, nondum centesimae parti aequaret. Inter varias loquelas aetate quotannis provehimur, habitaculaque totiens magis fiunt exigua. Domus haec aspectu inusitator est. Superficies vix novem quadratorum pedum, celsitudo autem infra pedem septem. Quoniam locus non constituendus esset, aedificandi solum non respexi. Fundamento instructo, tegimen appendi ; commissuras singulas ferro operui. Idcirco, si quid cordi non congrueret, expedite locum mutare liceret ; quid enim incommodi in hoc restituendo foret ? In binis omnino plaustris strueretur, praeterque plaustrarii mercedem amplius sumptu non esset opus.

Nunc in intimis Hino montibus dum lateo, ab orientali latere trium circiter pedum protectum struxi, ad ligna caedenda urendaque commodum. A meridiano latere bambuseum perambulacellum stravi, inque occidentali aquae lustralis pegma confeci ; ad septentrionale, interposito pluteo, Amidae imaginem statui, juxta quem Omnisapientem pinxi ; Orsa Loti eis anteposui. In orientali parte, filices stravi spiciferas quae nocte pro lectulo essent. In parte inter meridiem et occidentem pegma pensile bambuseum fixi in quo cistellas scortearum nigras posui tres. Continent scilicet carmina japonica, musica, compendia librorum, inter alios, de Beatifica Renascentia. Prope vero citharam lyramque singulas statui, quae vulgo plicabiles appellantur. Talis est eremitorii mei aspectus.

Quod ad loci figuram pertinet, in austrina parte aqueductulus est, saxumque ad aquam colligendam institutum est. Cum vicinae sunt silvae arbores, non est lignorum carpendorum egestas. Nomine Toiama appellatur ; hederis vestigia sepeliuntur. Vallis uberrima est, occidentalis pars autem nudior, quod contemplationis praesidio existit. Verno tempore glycinarum undas specto, quasi purpureas nubes ab occidente splendentes. Aestate cucillum audio, cujus loquela jugiter

ductionem ad Orcum promittit. Autumno cicadarum caducarum voces aures implent. Auditu caducum hunc mundum lugere videntur. Hieme nives intuens commoveor, quarum congeries dissolutioque peccatis comparentur.

Siquando debilitatur apud me Evigilati Commemoratio, vel languescit Scripturarum recitatio, sponte requiesco, sponte vaco. Nemo est qui impediatur neque ullus mihi verecundiam moveat. Quamvis haud expresse silentium teneam, qui solus habito lingua favere necesse est. Quamquam profecto disciplinam servare non conor.

Si quando mane me ipsum albis sulcorum undis compono, Lophoeciam petentes naves dum specto, Entelii monachi stilum furtim imitor ; quod si in ventis acerum vespere folia sussurant, Seuniangensis fluminis memor Gennii Praetoris mores gero. Quod si supersit ardor, ad pinorum canorem autumnales modos, ad aquarum sonorem liquida mele cano. Ingenio quidem parum possum, ut vero alterius aures delectem consilium non est. Solus canto, solus recito, animo solitarius indulgeo.

Est porro ad montis radicem lignea casula, montani custodis scilicet habitaculum. Ibi est parvulus qui interdum me visitat. Si quando vaco, eo comitante deambulatum imus. Iste annos decem natus est, equidem sexaginta, quae aetas extra ordinem existit, at eisdem consolamur corda.

Modo arundines legimus, pera agrestia carpinus, bulbos campestris evellimus, pastinacas conferimus. Modo ad agros submontanos imus ut decisas spicas colligamus fascisque conficiamus. Si quando sereni fiunt dies, montis cacumen ascendimus, inde procul patrium caelum conspiciamus atque Montes Covatenses, Fusimim vicum, Tobam, Hatucasim contemplamus. Excelsis locis non est erus, quin corda consolemur nemo obstat.

Nihil in ambulatione molesti ; cum cor procul attigerit, hinc per fastigia Carboneum Montem transeuntes et Casatorim supergredientes, modo ad Scopulum imus, modo ad Saxosum Montem venerandi causa. Interdum vero, Avassuensem planitiem transgredientes, Cicadensium Carminum Senis vestigia inquirimus, vel Tanacamiensem rivum transeuntes Pithecocyli Magistri tumulum visitamus. Redeuntes pro anni

tempore, cerasos venamur, acera rubescentia quaerimus, filices carpimus, poma legimus, quorum alia Evigilato offerimus, alia domum pro munusculis referimus.

Si quando tranquilla fit nox, nitente per fenestram luna, veteres amicos in memoriam redigo ; clamantibus simiis madescent lacrimis manicae. Dumorum cicindelae pro longinquae Podocarporum Insulae foculis piscatoriis videntur ; dilunculi imbres procellis in arborum foliis mugientibus nimirum similiores sunt. Dum phasianum querentem audio, an pater sit materve dubito. Mihi appropinquantibus montanis cervis, quam a mundo procul sim adverto.

Interdum porro favillas excito ut senilis insomniae comites fiant. Cum haud terribiles sint montes, bubonis commoveor vocibus ; sic montani conspectus, quodquod sit tempus, exhauriuntur numquam. Eo amplius eis qui altius cogitent altiusque sapiant manifestentur.

Cum fere in hoc loco habitationem sumens brevem fore aestimarem, jam vero annum quintum degi. Temporalis casula mihi paulatim patria facta est ; in protecto alte cumulantur folia

caduca, solo abundat muscus. Cum forte aliqua ex causa de urbe rogem, proceres multos, postquam in hos montes recesseram, decessisse audio. Nedum eorum qui parvi ducuntur numerus ad unum non scietur. Quae crebrioribus incendiis perierunt domus atque adeo plures sunt. In temporali casula tantum tranquillitas timorisque absentia. Quamvis sit angustior, est tamen lectulus quo nocte recumbam storeaque qua die sedeam ; satis superque est ad unum hospitandum. Paguri testas diligunt exiguas, quippe qui se ipsos noverunt. Ossifragae in littoribus incultis habitant, qui homines timent. Et ego eorum similis sum. Me ipsum novi, novi et mundum : nihil opto, ad nil festino, nonnisi tranquillitatem spero mihi que absentia voluptati est.

Plerumque non suapte causa hujus mundi homines habitationes aedificare solent ; alii uxoris liberorum cognatorum causa, alii propinquorum amicorumve causa faciunt. Sunt etiam qui domini causa magistrive necnon thesaurorum pecudumve sic faciunt. Equidem nunc mei ipsius causa id confeci, haud alterius. Rationem rogas ? Propter hodiernos mores meumque statum, neque est quem comiter, neque servus in quo nitar. Etsi

ampliores aedificavisses, quemnam hospitarer, quemnam recipere?

Nam qui pro amicis habentur plerumque divitias honori ducunt comitatemque praeponunt; haud demum humanos sincerosque diligunt. Expediit ergo fides tantum Floramque pro amicis habere. Qui autem serviunt, cum maximi faciant mercedes castigationesque, indulgentiam praeponunt liberalem; sibi prorsus neque misericordem sollicitudinem neque placidam tranquillitatem optant. Expediit ergo corpus tantum pro servo habere.

Quomodo, rogas, servit? Si aliquid existit agendum, meo ipsius corpore utor. Quod licet non sine incommodo sit, tamen levius est quam secutoribus praesidere. Si ambulare debeo, ipse ambulo; licet molestiae sit, equi, ephippii, bovis, raedae sollicitudines non aequiperat. Nunc demum personam unam in usus duos divido: manuum servi, pedum vehicula bene cordi oboediunt. Quia cor novit corporis dolorem, cum hoc dolet requiescit, cum autem vigescit servit. Etsi servit, nimia repetitione posse non transgreditur. Etsi pigratur, cor numquam. Huc adjice quod jugiter ambulare jugiterque operari vitali

exercitationi sunt ; curnam in vana quiete resideam ? Peccatum est homines vexare ; curnam alterius vires usurpem ?

Haud aliter de veste ciboque. Glycinea vestimenta, stragula lineam qualiacumque nactus sum cutem tegunt ; agrestes asteres, montana poma quantulumcumque vitam sustinent. Quoniam me hominibus non immisceo, non est quod aspectu verecundus paeniteam. Cum tenuis sit victus, et rustici fructus deliciis sunt. Tales voluptates plerumque locupletibus non sunt narrandae ; mihi tantum, qui solus sim, vetera hodiernis comparare licet.

Nam trimundus una tantum mens est ; nisi pacata est mens, pecudes thesaurique irriti fiunt, palatia aedesque abjecta. Nunc solitariam habitationem, unius diaetae tugurium equidem diligo. Cum forte urbem petam, verecundiae quidem est corporis mendicus aspectus, at reversus cum hic commorer, aliorum misereor qui in mundano pulvere circumcursant. Quod si in dubium veniant verba haec, piscium aviumque respiciantur habitus : pisces aquam non fastidiunt ; nisi piscis fueris, hujus mentis nescius eris. Aves silvam optant ; quisquis avis non fuerit, hunc animum non percipiet. Haud aliter de vitae solitariae sapore ; a quo nisi in ea habitante intellegatur ?



Agedum, aetatis meae luna umbram inclinat, summos vertices appropinquat reliquae vitae numerus. Protinus ad trium viarum tenebras proficiscar. Quapropter conquerar ? Hanc sententiam docet Evigilatus quod nulli omnino rei adhaereat cor. Nunc opprobrio est herbosum meum tugurium diligere. Et obstabit quod ad solitudinem applicer. Quomodo fuitiles voluptates enarrans caras horas degere possim ?

Tranquillo diluculo, dum praeceptum illud meditor, cor ipsius meum rogo : « Ut mentem exerceas inque via proficias, relicto mundo, in montibus silvisque versaris. Attamen figuram tantum sancti viri praebes, cor vero turbidis contactum est. Habitatione certe Catharonymi<sup>1</sup> vestigia maculas, observantia autem ne Sribandae<sup>2</sup> mores quidem aequas. Meritone paupertate adeo te ipsum vexas, an propter errationes spirituales delires ? » Nihil vero his respondet cor. Linguam tantum quae in promptu est usurpans bis terve inexoratum Amidam voco desinoque.

---

<sup>1</sup> Sanscritice : Vimalakīrti

<sup>2</sup> Evigilati discipulus spiritu pauper qui scopis operando rerum causas intellexit.

Tempore Kenryaku, anno secundo<sup>1</sup>, circa mensis tertii diem novissimum, monachus Lotigena in Toiamensi tugurio haec inscripsit.

*FINIS*



De scriptore

*Theomaeus Camoensis (japonice Kamô no Chômei seu Nagaakira ; 1155-1216) ortus est a gente sacerdotali quae per generationes sacris in fano Camoensi (Kamo-jinja) in parte septentrionali urbis Meaco (Kyôto) insito fungebatur. Pater ejus a vita decessit cum adulescens esset ; postea artes musicas et litterarias coluit, donec voluerit munere sacro in Camoensi fano succedere. Decepta vero exspectatione, graduatim a mundo curiali secessit tuguriumque sibi instruxit in locis silvestribus haud procul a Meaco. Ibi circa annum aetatis suae sexagesimum opusculum conscripsit brevissimum sed aureum cui titulum dedit Eremitorium (Hôjôki, seu ‘Cella monastica’ ;1212). Alios sermone soluto conscriptos libros duos, poemata vero plura reliquit.*

---

<sup>1</sup> Anno gratiae 1212.